

niendi coram eo appellationem, adeo ut alioquin causa appellationis ad ipsum revertatur. Hoc enim modo arctaretur etiam iudex ad quem, et imponeretur ipsi per inferiorem necessitas terminandi causam intra prædictum tempus; quod repugnat ordini hierarchico.

186. *Et si hoc fecerit, censetur præfixisse terminum prosequendæ appellationis.* — Quod si vero iudex inferior id fecerit seu appellanti præfixerit terminum finiendi appellationem, censetur præfixisse terminum ad se præsentandum Superiori, seu ad prosequendam appellationem, non vero ad eam finiendam summarium, et Abbas cit. c. *Ex insinuatione.* n. 1. et 2. h. t.

187. *Potest terminum ad prosequendam appellationem concessum, abbreviare secundum exigentiam negotii, etc.* — Prior vero pars patet ex c. *Cum sit Romana.* ubi Glossa γ . *Recisius* et Abbas, ibid. n. 2. et 12. et 17. et Barbosa, n. 1. h. t. et alii communiter, docentes, quod iudex a quo possit terminum ad prosequendam appellationem concessum (videlicet unum annum, vel ex legitima causa biennium) abbreviare secundum qualitatem seu exigentiam negotii, ac personarum, locorumque distantiam, per textum cit. c. *Cum sit Romana.* h. t. Idem probatur ex eo: quia iudex a quo potest appellanti præfigere terminum ad iter arripiendum; ut c. *Ad hæc.* 20. h. t. juncta Glossa ibid. γ . *Infra quadraginta.* Item ad petendum apostolos, Clem. *Quamvis.* h. t. ac huiusmodi: licet non possit præfigere terminum respectu appellationis finiendæ, cit. c. *Ex insinuatione.* 50. h. t. estque proxime dictum.

188. *E contra iudex ad quem non potest istum terminum abbreviare, nisi imminet periculum.* — Resp. II. E contra iudex ad quem non potest abbreviare terminum a jure concessum ad prosequendam appellationem, nisi forsan ex mora, seu longiori dilatione, periculum imminet animarum, vel damnum Reipublicæ. Ita Hostiensis, in *Summa.* h. t. n. 10. vers *Sed et iudex ad quem.* Abbas c. *Oblatæ.* 57. n. 6. h. t.; Pirhing, eod. n. 153. et alii. Ratio disparitatis inter iudicem a quo, et iudicem ad quem, quantum ad propositum, est hæc: quia, ut notat Abbas ibid. iudici a quo fit præjudicium per appellationem: nam sæpe appellatur frustratorie, ad differendum negotium principale; sicque merito potest is, quando ita ob qualitatem causæ, atque personarum expedire iudicaverit, ap-

pellationi prosequendæ terminum breviorum præfigere, ut fraudibus obvietur. E contra iudici ad quem nullum fit præjudicium; ac proinde nec potest restringere terminum prosequendæ appellationis a Jure concessum, juxta reg. 17. jur in 6. « Indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum. » Intellige, nisi juxta causam, puta, commodum publicum, aut evitandum periculum animarum, aliud fieri deponat: prout dicta regula limitari solet, conformiter alteri parti datæ conclusionis.

189. *Judex a quo nequit minuere terminum decem dierum ad appellandum concessum; et cur?* — Nec obstat, quod Iudex a quo non possit minuere terminum decem dierum, concessum ad appellandum; ut inquit Glossa d. c. *Cum sit Romana.* γ . *Recisius.* h. t. Resp. enim, disparitatem esse: quia istud nulla lege reperitur iudici concessum, præsertim cum ex tam modico termino haud facile possit præjudicium aliquod generari. Secus dicendum in fatalibus prosequendæ appellationis, utpote ad integrum annum, aut ex necessaria et evidenti causa ad biennium sese extendentibus: nam quod tale tempus secundum causæ, et personarum qualitatem, iudex a quo moderari possit, si ita expedire iudicaverit, expresse conceditur ipsi cit. c. *Cum sit Romana.* 5. et c. *Oblatæ.* 57. h. t. cum concordantiis.

190. *Disparitas inter iudicem a quo, et ad quem, quoad propositum. Ubi imminet periculum reipublicæ, vel animarum, potest etiam iudex ad quem restringere tempus prosequendæ appellationis.* — Atque ex his elicitur alia probatio præmissarum conclusionum, et disparitatis inter iudicem a quo, et ad quem. Nam illi expresse concessum est a Jure, posse juxta exigentiam causarum, locorum, atque personarum moderari, seu restringere tempus prosequendæ appellationis: e contra iudici ad quem istud nullibi reperitur concessum, nisi ubi imminet periculum, puta commune reipublicæ, vel animarum, sicque, argumento a sensu contrario desumpto, censetur ipsi istud denegatum respectu causarum, in quibus tantum versatur utilitas privata. Abbas cit. c. *Oblatæ.* 57. n. 6. h. t. et favet textus ibid. \S *Superior,* in hæc verba loquens: « Superior quoque Iudex, si viderit ex dilatione periculum imminere, potest, et debet neutro prosequente appellationem, occurrere, ut periculum evitetur: puta, si a sententia lata super confirmatione alicujus

electi fuerit provocatum et utraque pars velit etiam ad annum prosecutionem appellationis differre, potest utique, imo debet, superior iudex, ad quem fuerat appellatum, terminum provide moderari, ne gregi dominico diu desit cura pastoris. » Hæc ibi.

191. *Istud exemplificatur in conjugio spiritali, et carnali, etc.* — Porro, quod textus allegatus statuit de conjugio spiritali, existente inter Ecclesiam et Prælatum, intelligit Hostiensis cit. n. 10. etiam de causa appellationis in controversia conjugii carnalis, ob periculum animarum. Et quia exempla declarant, dispositionem de similibus esse intelligendam, l. I. \S *Quod vulgo.* ff. de *Vi et vi armat.* Fagnanus c. *Non minus.* n. 30. de *Immunitat.* *Eccles.* consequens est, idem esse dicendum in periculo damni reipublicæ, imo et in causa alimentorum necessariorum, ac huiusmodi, ubi pariter ex dilatione immineret periculum vitæ esurientis, aut communitatis. Pirhing cit n. 153.

192. *Qualiter in aliis causis possit iudex ad quem, finire fatalia appellationum?* — Quin etiam in aliis causis, licet iudex ad quem non possit imponere terminum instantiæ appellationis, huiusque fatalibus: tamen, si ei liquet de causa, potest partibus præsentibus quocumque pronuntiare, seu ferre sententiam; sicque imponere terminum causæ, ac finire fatalia appellationum. Scaccia cit. quæst. 15. n. 217. post Baldum in Auth. *Ei qui appellat.* n. 12. C. de *Temporib. appellat.* et Francum c. *Cum cit. Romana.* n. 11 h. t.

193. *Appellans potest sibi ipsi restringere fatalia huiusmodi.* — Resp. III. Appellans potest sibi restringere, seu abbreviare fatalia appellationum, juxta c. *Personas.* 4. \S fin. h. t. et c. *Ad hæc.* 20. eod. non tamen potest se solo eadem prorogare. Hunc enim redundaret in præjudicium tertii, seu appellati, contra reg. 22. in 6. « Non debet aliquis alterius odio prægravari: juncta l. *Non debet.* ff. eod. cum similibus.

194. *Utrum hæc mutuo partium consensu possint prorogari?* — Utrum autem mutuo partium consensu possint fatalia appellationum prorogari, controvertunt doctores; uti videre est apud Scacciam, quæst. 15. de *Appellation.* n. 188. referentem plurimos auctores pro et contra. Probabilior tamen et communior sententia est, posse talem prorogationem fatalium communi partium consensu fieri, dummodo adhuc durent tempora fatalium: alias secus; nam quod non est, pro-

rogari nequit, Scaccia, loc. cit. n. 189. et 196. et seqq.; Pirhing, h. t. n. 167; Maranta, part. VI. *Speculi aurei.* tit. de *Appellation.* n. 225; Gailus, lib. I. *Practic.* observat. 41. n. 6. et alii. Idque probatur ex l. ult. \S fin. c. de *Temporib. appellat.* ubi partes permittuntur pacisci, ut nullum fatale observetur. Concordat Clem. *Quandiu.* h. t. ubi dicitur, quod de expresso partium consensu differatur, neque appellanti currat tempus a jure, vel homine præfixum ad prosequendam appellationem; nisi iudex, ob imminens ex dilatione periculum, jubeat in illa procedi: ergo, si præceptum iudicis non obstat, hoc ipso possunt prorogare fatalia appellationum. Concordat c. de *causis.* 4. de *Offic. delegat.* ubi simile quid statuitur de prorogatione jurisdictionis delegati.

195. *Quid sit iudex in causa desertæ appellationis ob lapsum fatalium? Praxis notabilis deserviens appellato, quando appellans intra delectum tempus non petivit apostolos, vel non est prosecutus appellationem.* — Quæritur IV. Quis sit iudex in causa desertæ appellationis ob lapsum fatalium? Resp. I. Quando appellans nunquam petivit apostolos, aut debito tempore causam appellationis non introduxit, vel saltem eam non est prosecutus coram iudice ad quem; tunc appellatus, seu victor in causa potest adire iudicem a quo, qui sententiam tulit, ab eoque petere, et mandat illam executioni, citato tamen appellatore ad contradicendum, si habeat, cur non debeat executioni mandari: et tunc appellator ille tenetur comparere, atque docere, vel a se factam fuisse legitimam prosecutionem appellationis, vel justum intervenisse impedimentum, ratione cujus non potuerit eam prosequi: quod si vero appellator non comparuerit, vel saltem alterum dictorum non docuerit, potest iudex ille ad executionem suæ sententiæ venire; nec tunc opus est alia pronuntiatione super desertione appellationis. Ita Felinus, c. *Ex parte.* 12. n. 9. de *Rescriptis,* citans Angelum in l. *Si contra majorem.* C. de *Appellation.* Alexander consil. 95. n. 3. vol. II; Sigism. Scaccia, quæst. 11. de *Appellat.* 149. et 167. allegans insuper card. Alexandrum c. *Ex ratione.* n. 44. et Francum, ibid. n. 95. de *Appellat.* asserentes, per hoc evitari magnum circuitum.

196. *Et huius ratio.* — Conclusio hæc probatur per textum singularem in d. l. *Si contra majorem.* C. de *Appellation.* quem infinitis vicibus se practicasse, dicit Angelus,

ubi supra; et sic sonat: « Si contra majorem viginti quinque annis sententia prolata, provocationis secutæ tempore præfinito causas non esse repræsentatas, nec appellatione pendente, transactione finitum negotium rector provinciæ animadverterit, res judicatas exequi curabit. » Hæc ibi; junctæ Glossa, per « res judicatas » intelligente primam sententiam. Concordat c. *Ad hæc*. 27. h. t. et Clem. 2. et 3. et 6. eod. ubi appellatio censetur deserta, et prior sententia in rem transire judicatam, si appellationem appellans rite non fuerit prosecutus: sicque non est opus alia pronuntiatione super desertione appellationis, hoc ipso, quod appellans ejus prosecutionem non probet, et fatalia sint elapsa.

197. *Si appellans nunquam comparuit coram superiore, tunc iudex a quo cognoscit super causa desertæ, vel non desertæ appellationis.* — Resp. II. Quod si vero appellatore veniente, et aliquid allegante, dubium remaneat, an causa appellationis ab eo fuerit deserta, nec ne; tunc est distinguendum inter duos casus. Quia vel appellans nunquam comparuit coram superiore; et tunc indubitanter discussio, atque pronuntiatio super causa desertæ, vel non desertæ appellationis, spectat ad iudicem a quo: siquidem iudex ad quem non habet cognitionem aliquam, nisi per viam appellationis negotium ad ipsum deferatur; hoc autem in casu posito (puta, si non fuissent petiti apostoli, vel saltem causa ipsa nunquam fuisset delata ad superiorem) non contingeret; ergo. Felinus cit. c. *Ex parte*. 12. n. 9. de *Rescriptis*; Scaccia, ubi supra, n. 149. et 150. et n. 166, post Francum, c. *Romana*. § fin. n. 3. de *Appellat.* in 6; Vestrius in *Praxi*. lib. VIII. cap. ult. n. 9. et alios.

198. *Alias de hoc cognoscit iudex ad quem.* — Vel appellans jam comparuit aliquando coram superiore, seu iudice ad quem, et coram ipso introducta fuit causa appellationis: et tunc in dubio, an appellatio fuerit deserta, nec ne (puta, an appellans legitime fuerit impeditus a prosecutione appellationis) debet iudex ad quem cognoscere, atque pronuntiare super desertione quia is jam semel fuit aditus: ubi autem semel coeptum est iudicium, ibi debet finire, l. *Ubi acceptum*. ff. de *Judiciis*; Felinus cit. n. 9. Scaccia, d. quæst. 11. n. 151. et seqq. post Francum, c. *Ex ratione*. n. 67. et 99. h. t. alios.

§ VII.

DE EFFECTIBUS APPELLATIONUM: AC PRÆSERTIM DE HARUM EFFECTU SUSPENSIVO, ET REVOCATIONE SENTENTIE.

199. *Effectus appellationis legitime interpositæ principaliter est duplex; suspensivus ac devolutivus.* — Quæritur I. Qui sint effectus appellationis? Resp. I. Effectus appellationis legitime interpositæ, principaliter est duplex, nimirum suspensivus, ac devolutivus: quamvis non semper appellatio operetur ambos istos effectus. Ita Abbas ad rubric. h. t. n. 4. et alii passim. Et quidem altera pars, seu quod appellatio non semper operetur ambos hosce effectus, patebit ex dicendis n. 210. et 211. ac seqq. ubi plures referuntur hujusmodi casus. Prior autem pars ostenditur declarando terminos: nam.

200. *Effectus ejus suspensivus in quo consistat?* — « Effectus suspensivus appellationis » consistit in hoc, quod per ipsam suspendatur sententia iudicis a quo, ejusque jurisdictio, quantum ad illam causam, in qua fuit appellatum: adeo, ut ad executionem sententiæ suæ procedere non possit. « Nam appellatione interposita medio tempore nihil novari oportet, » ut dicitur l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita. » Unde.

201. *Operatur tria, et quæ?* — Effectus suspensivus tria operatur. Primo enim suspendit pronuntiatum, sive sententiam iudicis a quo. Secundo suspendit ejus executionem quantum ad illam causam; adeo, ut pendente appellatione iudex ille non possit circa eam procedere absque vitio attentati. Tertio suspendit etiam præsumptionem alioquin stantem pro sententia iudicis, c. *Cum ad Sedem*. 15. § fin. de *Restitut. spoliat.* cum similibus.

202. *Suspendit pronuntiatum, etc., non vero extinguit.* — Dicitur notanter, « suspendit pronuntiatum, etc., non vero, extinguit. » Nam appellatore non prosequente appellationem, rata manet prior sententia, et assumit vires suas, c. *Cum sit Romana*. 5. et c. *Personas*. 4. h. t. cum concordantiis. Hoc autem fieri non posset, si sententia iudicis a quo per appellationem interpositam simpliciter extingueretur, et non tantum suspenderetur; prout argumentatur Abbas cit. n. 4. Unde dum l. I. § fin. ff. Ad S. C. *Turpilian.* dicitur: « Provocationis remedio condemnationis extinguitur pronuntiatum: » ly « Extin-

§ VII. DE EFFECTIBUS APPELLATIONUM: AC PRÆSERTIM, ETC.

guitur » exponendum est pro ly, « Suspenditur; » ut explicat Glossa fin. ibi.

203. *Effectus devolutivus appellationis quis?* — « Effectus devolutivus appellationis » consistit in hoc, quod tota causa devolvatur ad iudicem superiorem, seu iudicem ad quem: ita, ut is non solum de iustitia appellationis cognoscere valeat; sed etiam, hac probata, causam principalem examinare, eamque sententialiter definire possit, ac debeat. Textus est in l. *Eos qui*. § 1. C. de *Appellation.* et c. *Dilectis filiis*. 55. h. t. ubi Summarium sic loquitur: « Per appellationem legitime interpositam principale cum accessoriis ad iudicem appellationis defertur. » Verum de hoc plura inferius n. 230. et seqq.

204. *Possunt distingui plures alii effectus appellationis, minus tamen principales.* — Resp. II. Etsi duo sint effectus principales appellationis, nempe suspensivus, et devolutivus, ut dictum: nihilominus præter hos possunt distingui plures alii effectus appellationis, minus tamen principales, vel ad unum prædictorum commode reducibiles. Ita Sigism. Scaccia, tract. de *Appellation.* quæst. 2. n. 3. et seqq. enumerans universim septem effectus illius; et n. 83. notans, quod card. Alexand. in rubric. de *Appellation.* a n. 69. usque n. 82. conetur cumulare duodecim effectus appellationis. Et quidem, præter duos jam enumeratos.

205. *Putat, quod possit impetrari iudex appellationis per rescriptum.* — Tertius appellationis effectus est, quod ea legitime interposita possit impetrari iudex appellationis, seu desuper expediri commissio; puta, per rescriptum apostolicum, ut cap. II. et seqq. et c. *Significaverunt de Exceptionibus*. cum similibus. Alioquin enim, si causa appellationis committatur, seu delegetur non interposita prius appellatione, commissio est invalida, utpote data super eo, quod non est. Scaccia cit. n. 3. asserens, hunc effectum esse notum in Cura, ex vulgata Bellamaræ decis. 28. et 100. ubi ait: « Commissio facta super appellatione nondum interposita, est nulla ipso jure. » Verum effectus iste commode reducitur ad devolutivum, de quo proxime dictum.

206. *Quod pendente appellatione, nihil sit innovandum.* — Quartus appellationis effectus, sed ad effectum ejus suspensivum reducibilis, est; quod pendente appellatione nihil sit innovandum: ut l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita. » Ubi Ulpianus

sic loquitur: « Appellatione interposita, sive recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari oportet, » cum similibus.

207. *Imo nec intra decendium ad appellandum concessum possit aliquid innovari, etiam ante factam appellationem.* — Concordat textus notabilis in c. *Non solum*. 7. h. t. in 6. Ubi non solum innovata post appellationem a diffinitiva, jubentur (exceptis certis casibus) statim revocari per iudicem appellationis; sed etiam illa, quæ medio tempore decem dierum intra sententiam et appellationem gesta fuerunt, illis verbis: « Non solum innovata post appellationem a diffinitiva sententia interjectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis iudicem penitus revocari: sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam et appellationem (quæ postmodum infra decendium interponitur ab eadem) contingit innovari, ac si post appellationem eandem innovata fuissent. » Ubi Glossa y. *Innovata fuissent*, hujus posterioris partis rationem assignat, dicens: Quia sicut post appellationem a diffinitiva nihil attentari debet; sic nec pendente jure, quod condemnato competit ad appellandum, scilicet usque ad decem dies. Sicut enim indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum, juxta reg. 17. juris in 6. ita nec spes ad illud, puta, facultas appellandi intra decendium, arg. l. *Si ususfructus mihi legatus*. ff. *Ususfructuarius quemadmodum caveat*. Concordat dicta superius tit. præced. § 6. n. 160.

208. *Quod suspendat iudicatum. Atque reponat appellantem in pristino statu; et quomodo?* — Quintus appellationis effectus est, ut suspendat iudicatum, non tamen extinguat, conformiter dictis paulo superius n. 201. et 202. Sextus ejus effectus est, ut reponat appellantem in pristinum statum; intellige in eum, quo prius fuerat post litem contestatam, non vero in illum, in quo fuerat ante litem contestationem. Scaccia, quæst. 11. de *Appellat.* n. 46. estque jam dictum supra tit. XXV. de *Exceptionibus*. n. 28. et n. 74.

209. *Et quod iudex ad quem debeat revocare, aut confirmare sententia iudicis a quo.* — Septimus appellationis effectus est, ut si appellatio sit legitima, talisque appareat in fine, teneatur iudex ad quem revocare sententiam iudicis a quo: sin minus, debeat hanc confirmare, simulque calumniose, vel temere